



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Leoni Illvstri Regi Armeniae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

cutioni mancipare non differatis ; quatenus ea quæ ex adversaria parte minus justè pullulant , apostolica falce sint resecata ; & pars nostra de pietate vestra confidens , per Dei & vestrum auxilium delestantes exitus matutini & vespere gaudeant reperisse. Cupimus præterea & exoptamus ut extensis in ccelum manibus , & fusis in monte precibus , vincentur Amalech ; quatenus post multa flagella filiorum Israël , arca Dei liberata tempore sacerdotij vestri revertatur in Sylo , ubi populus pacificas hostias possit immolare , & pro offensionibus suis sacrificio contriti cordis Deum placare. Mitrat etiam Salvator & propugnator noster David fidelem in auxilium nostrum , qui numerosa Philistinorum præputia circumcidat , & in sortem Israëlitæ plebis abducatur ; quatenus hæc terra Hierusalem non serviat ut ancilla cum filii suis , sed supernam , quæ libera est , imiteretur ; cuius cives sunt non tantum qui in hac valle lachrymarum peregrinantur , sed etiam hi qui ad supernæ visionis pacem pertinere merentur. De cetero commendamus sollicitudini vestre reliquias Syriae , quæ quotidie vestrum expectant & interpellant subsidium.

*ZEONI ILLVSTRI
Regi Armeniae.*

*Epist. 213.
Reipsonder epistolæ superiori.
Exrat in Geffis
Innocentij III.*

EIÀ quo est omne datum optimum & omne donum perfectum , qui corda Principum habet in manu sua , & à quo est omnis potestas , quas possumus gratiarum referimus actiones quod te usque adeo in devotione apostolicæ sedis radicavit , ut non solum in spiritualibus , sed in temporalibus etiam ad auxilium Ecclesiæ Romanæ recurras , & in tueris justitiis tuis per appellationem interpositam opem ejus implores. Veniens enim ad apostolicam sedem dilectus filius nobilis vir Robertus de Margato Miles nuntius tuus plenè nobis exposuit tuæ devotionis affectum , & regiae serenitatis litteras nobis obrulit continentes quod cum R. primogenitus quondam filius nobilis viri R. Principis Antiocheni A. neptem tuam duxerit in uxorem , ex ea mascula prole suscepta , dum ageret in extremis , eidem Principi supplicavit ut successionem quæ ipsi jure hereditario competebat , Rupino unico ejus filio conservaret. Qui post mortem

filij non immemor precum ejus , convocatis ligii hominibus suis , quod dictus Raymundus legitimus fuisset heres ipsius , & post mortem ejus Rupinus , prædicti Raymundi filius , ipsius Principis legitimus heres esset , publicè recognovit , & ei ab universis hominibus suis , salva fidelitate qua ei tenentur , dum vixerit , ligium fecit homagium exhiberi. Deinde quoque prædictum Rupinum de civitate Antiochia & toto principatu Antiocheni tenendo post ejus obitum , salva dote I. uxoris ipsius , & omnibus donis quæ fecerat & in posterum est facturus , & dum vixerit totius principatus dominio tibi salvo , saifivit , & eum Raymundi patris nomine appellavit , sicut in litteris ad nos à te transmissis perspeximus contineri. Ceterum nobilis vir Comes Tripolitanus , filius Principis memorati , molestè ferens se patria hereditate privari , cum dilectis filiis Hierosolymitanensis Hospitalis & militiae Templi Magistris te voluit molestare. Sed quod adversum te prævalere non posset inspiciens , conversus in Principem , favore Antiochenis communia , filius patrem exclusit , & domino suo contumelias præsumpsit & injurias irrogare. Interea etiam quidam amici Tripolitani Comitis corrupti pretio , & precibus circumventi , Comitem ipsum legitimum heredem Principis afferentes , falsis suggestionibus obtinuerunt à populo ut abjurato quodammodo juramento priori , eidem Comiti hominum exhiberent . propter quod ad sedem apostolicam regia serenitas appellavit , & Templariis & Hospitalariis ad cor redeuntibus , Principem in sede restituit principali. Licet autem , quantum cum Deo possumus , tuæ velimus serenitati deferre , quia tam in dubiis certum nec volumus nec debemus proferre judicium , cum etsi etiam nobis de veritate constaret , in absentia tamen partis alterius , nondum incepto judicio , ad sententiam procedere non possemus , caussam ipsam Legatorum nostrorum , qui dante Domino in proximo transfretabant , examini duximus reservandam : quibus & verbis & scriptis dabimus firmiter in mandatis ut ipsam diligenter examinent , & sine personarum acceptione , prævia ratione decidant ; nolentes caussam delegare judicibus qui alterutri partium , & tuæ præfertim , esse possent de ratione suspecti.

Rogamus igitur celstitudinem tuam & exhortamur attentiū, ac per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus communem caussam privatæ præponens, & propriis commodis negotium præferens crucifixi, quantum in te fuerit pacem ad universos Christianos observans, ad defendendam hereditatem Domini & expugnandam barbariem Sarracenorum potenter intendas, nec ob hoc adversus Comitem vel alium bellum moveas, præsertim vivente Principe, qui, sicut in ejusdem litteris continetur, sic nepotem tuum de principatus successione laisivit ut sibi proprietatem & dominium quoad viveret retineret. Cū autem ad partes illas Legati nostri pervenerint, caussam tuam non armis, sed legibus, non gladio vindice, sed justitia judge prosequaris. Nos enim eidem Comiti per apostolica scripta mandamus ut caussa ipsa in suo statu manente, nihil in præjudicium juris alterius attentare præsumat, sed Legatorum nostrorum, quibus cognitio nem & diffinitionem ipsius duximus committendam, expectet adventum. Ad hæc, dilectum filium nuntium tuum serenitati regia propensiū commendamus, ut de caro cum habeas de cetero cariorem. Præterea serenitati tuae gratiarum referimus actiones quod nos per eundem nuntium tuum magnifice ac liberaliter visitasti. Datum Laterani XVI. Kal. Ianuarij.

*PAGANO ET ARRONI COMITIBVS,
& universis aliis Baronibus, Militibus,
& populo in regno carissimi in Christo filij
nostrī Leonis illustris Regis Armeniæ con-
stitutis.*

*Epiſt. 254.
Vt cum suo
Rege contra
Saracenos for-
tierit se gerant.
Exstat in Gēſiū
Innoſentij III.*

ET si modernis temporibus apostolice sedis receperitis instituta, secundum ea Domino in puritate cordis ac corporis servientes; is tamen qui matutinos & vespertinos operarios vineæ sua singulorum denariorum mercede remunerat, faciens novissimos primos & primos novissimos, bravum vobis largietur æternam, si catholicam Ecclesiam sponsam veri Salomonis, sub cuius capite, secundum quod ipsa protestatur in canticis canticorum, lava ejus, & dextra ejus ipsam jugiter amplexatur, fueritis humiliter venerati, & usque adeo vos zelus domus Domini comederit ut ad vindicandam injuriā crucifixi & templum & hereditatem ejus de paganorum

manibus liberandam, & res exposueritis & personas, Christum vobis vitam & mortem lucrum cum Apostolo reputantes. Gaudemus autem quod etsi novas sitis Ecclesiæ Romanæ plantatio, novitas tamen in vobis virtutis operatur augmentum, & usque adeo vos reddit in fide ferventes, ut tanto ferventiores, in Christianorum omnium immo Christi auxilium assurgatis, quanto estis viciniores hostibus, & ex vicinitate melius & scitis & vultis eorum conatibus obviare. Nos autem de cariss. in Christo filij nostri Leonis Armeniæ Regis illustris sinceritate ac vestra devotione confisi, ei ad petitionem dilecti filii nobilis viri R. Militis nuntij ejus in nostræ dilectionis indicium vexillum beati Petri dirigimus, quo in hostes crucis duntaxat utatur, & eorum superbiam suffragantibus Apostolorum principis meritis, Domino concedente conculceret. Moneamus igitur universitatem vestram & exhortamur in Domino, & in remissionem vobis in jungimus peccatorum, quatenus ad liberandum funiculum hereditatis dominicæ de manibus paganorum, & eorum refrenandam audaciam, & barbariem edomandam, cum eodem Rege vestro, sicut bene coepistis, potenter & viriliter intendatis; ut ejus sitis remissionis participes quam de Dei omnipotentis & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus transfrerantibus indulgemus. Datum Laterani XVI. Kal. Ianuarij.

*In eundem ferè modum nobilibus viris
Hug. de Tubaria, Rodulpho, & Ottoni
fratribus.*

ILLVSTRI REGI ARMENIAE.

ET tibi congaudemus & nobis, immo etiam universo populo Christiano, quod eum tibi Dominus inspiravit affectum, ut apostolice sedis instituta devotè reciperes, & præcepta fideliter observares, & contra inimicos crucis propositum illud assumeres ut in eos vindicare cupias injuriam crucifixi & hereditatem ejus de ipsorum manibus liberare. Nos igitur de tuae devotionis sinceritate confisi, ad petitionem dilecti filii Roberti de Margat Militis, nuntij tui, in nostræ dilectionis indicium, vexillum beati Petri tuae serenitati dirigimus, quo in hostes crucis duntaxat uta-

Sff ij

*Epiſt. 255.
Transmittit
vexillum beati
Petri, quo con-
tra Crucis ini-
micos utatur.*

*Reſponſo ad
hanc epistolam
exstat in Gēſiū
Innoſentij III.*